

P L A N I S P H A E R I V M  
¶ Explicandi sunt huius Instrumenti  
circuli & partes.

**I**NSTRUMENTVM hoc Planisphærij duas partes habet cum linea fiduciæ, quarum una dicitur mater Planisphærij, altera uero rethe. In matre autem limbus continet tres ambitus diuisos in 24 partes æquales, & subdiuisiones horarum in quincꝝ partes æquales, quarū quælibet continet 12 minuta, horas deinde sequentur 4. cœli regiones, sub his B A D, & C A E lineæ, quatuor, illas partes mundi determinantes. Circulus autem B C D E, est æquator, & ex eiusdem centro deducta circumferentia, uocatur tropicus solstitialis. Circuli quoqꝝ ab Horizonte in zenith usqꝝ, sunt circuli almicantarath seu altitudinum, & qui in zenith punto se intersecant azimuth seu uerticales. In rethi uero exterior æquatorem refert, & arcus intra hunc notati cum signis duodecim Zodiaci, dicuntur duæ metates signiferi. Signa uero in eis distincta sunt per gradus 15, quoru singuli duos comprehendunt, & simplex crucis nota denarium, duplex autem uicenarium significat, & cuspides seu acus uera stellarum loca adiecto titulo ostendunt.

ORGANVM